



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 32. Valentini Ducis perfidia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

**Sæcul. XVI.** cunctas Romandiolæ urbes, quæ illi ad-  
**A.C.1503.** hucdum parerent, redditurum. Ergo  
 pactileges firmantur, & Julius Papa, con-  
 sentiente Valentini Duce, Carolum Mo-  
 schiavellum suum a cubiculis Ministrum,  
 & Petrum de Oviedo cubiculi Præfectum,  
 olim Ducis famulum ablegat, plena au-  
 thoritate, ac mandatis instructos, vi quo-  
 rum hic, ut Forum Livii, & ille Ce-  
 senam occuparent, & utriusque possessio-  
 nem acciperent, dato etiam ambobus  
 negotio, ut harum urbium Governato-  
 res ad illas nulla mora summo Pontifici  
 reddendas compellerent.

## §. XXXII.

*Valentini Ducis perfidia.*

*Marian. ib.* Verum Dux, inconstantis ac turbulenti  
 animi Princeps, vix pacta cum Julio  
 inita firmabat, cum eum jam amarior  
 facti poenitentia subiret, unde nil intentat-  
 tum reliquit, ut quovis modo datam fi-  
 dem eluderet. Ergo clam ad Didacum  
 Quignonez Cesenæ Governatorem lite-  
 ras misit, præcipiens, ut Petrum Oviedo  
 a Pontifice nuper ablegatum caperet, ac  
 laqueo necaret. Quignonez, Domino suo  
 nec malitia, nec audacia inferior, Ducis  
 iussa iniqua prorsus fidelitate exequitur.  
 Post hæc Moschiavellus die nona De-  
 cembris Romam redux Pontifici retulit,  
 quod

quod Fori Livii Gubernator nullatenus Sæcul. XVI, A.C. 1503.  
 mandatis pareret: Cesenatensis vero per-  
 lectis, quas a Valentini Duce accepisset,  
 literis, cunctisque verbis accurate discus-  
 sis, Oviadum comprehendi, ac demum  
 incognita caussa laqueo suspendi jussisset.  
 Summus Pontifex Ducis perfidiam, ut  
 par erat, vehementer detestatus, tam a-  
 trox facinus, salvo proprio dignitatis  
 suæ honore inultum minime permitten-  
 dum existimabat; unde Ministri sui cæ-  
 dem, eamque adeo infamem, injuriam-  
 que sibi exinde illatam pro muneris sui  
 ratione debita pœna mulctare statuit.

§. XXXIII.

*Valentini Dux jussu Papæ  
 comprehensus.*

Itaque summus Pontifex de enormi hac  
 contumelia cum Ulyssiponensi, & S. Raynald. hoc  
 ann. n. 20.  
 Georgii Cardinalibus contulit, ac Valen-  
 tini Ducem captum ad arcem S. Angeli  
 abduci decrevit. Ergo Dux cuidam in-  
 cluditur cubiculo, ubi Rothomagensis  
 Cardinalis quondam habitabat, cuique  
 Pontificis camera incumberebat, inde ve-  
 ro ad arcem S. Angeli translatus, in alio  
 quodam cubili infra novam Alexandri VI.  
 turrim captivus detentus est. Comperta  
 Ducis captivitate Sutrinensis, & Borgia  
 Cardinales ad vesperam egressi, equisque  
*Hist. Eccles. Tom. XXXI.* I i ve-